



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Aphorismi Confessariorvm Ex Doctorvm sententijs collecti

Sá, Manuel de

Coloniae, 1610

De Exco[m]municationibus Bullæ C[o]enæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41645**

communicatus; ad singulos versus alicuius  
 Psalmi Pœnitentialis verberet leuiter pœ-  
 nitentem: deinde post Kyrie eleison. Pater  
 noster. Saluum fac seruum tuum, &c. Esto ei  
 Domine, &c. Nihil proficiat, &c. Domine  
 exaudi, &c. & Dominus vobiscum, &c. Oremus.  
 Deus cui proprium est misereri, &c.  
 famulum tuum, quem sententia excommu-  
 nicationis ligatum tenet, &c. Tandem ab-  
 soluat.

\* Vide Tol. l. 1. c. 10. nu. 18. Syl. l. c. nu. 3. 4. Nau.  
 c. 27. num. 47. Sayrum l. 2. c. 18. præcipue.

Ab Excommunicatione minori, quam quis  
 incurrit ob peccatum veniale posse absolue-  
 re quemuis Sacerdotem, quidam aiunt; etsi a-  
 lij requirant in absolvente iurisdictionem,  
 certe potest quiuis Confessor.

\* Aiunt. Nau. c. 27. num. 26. Fu. vers. Absolu.  
 num. 38. Vinal. de minori excommuni. num. 12. Cord.  
 D. Tho. ab eo citati Tol. l. 1. c. 11.

Alij. Caet. excomm. minor, Sor. d. 22. q. 2. art.  
 3. Conar. c. Alma. 1. p. §. 8. num. 2. Pet. à. Sor. lec. 3. de  
 excom. nu. 16. Figuer. c. 16. §. 6. vers. 14. Sayr. lib.  
 2. c. 23. num. 8. de censu. Phil. lib. 3. c. 20. & est ve-  
 rior opinio.

De Excommunicationibus Bullæ Cœna, vide  
 Gabella, Heresis, Episcopus.

¶ Quod dicitur de hæreticorum recepta-  
 toribus, aut fautoribus, intellige si fa-  
 uerant.

ucant hæreticis in hæresi, seu quatenus hæretici sunt, id est in causa hæresis, vt dum fugiunt Inquisitorem, dum agitur contra eos *Tolet. lib. 1. cap. 19.* non autem si ratione amicitiae, aut propinquitatis, aut alioqui pietatis. Nec verò includendi sunt hæretici pater, filius, aut coniux, secundum quosdam, ob tantam enim coniunctionem sunt velut eadem persona. Ego verò solum eos excusarim ratione paulò ante dicta.

\*Vide *Nau. c. 27. à numer. 55. Vival. in explicatione bullæ à numer. 3. Tol. in fine, Sor. d. 22. q. 2. art. 3.*

2 Ob hæresim mentalem nullo proditam signo exteriori, quod sit ex se peccatum mortale, & sufficienter expressiuum hæresis, id est pertinacis erroris in fide, quem eo signo afferere intendat, nemo est excommunicatus. Itaque non est qui petit consilium, aut refert hæresim, aut transcribit, etiam si illam interrim mente teneat; nec qui hæreticum opus facit, sed sine animo hæretico.

\**Azorius l. 8. c. 10. q. 5. Carbo. l. 8. c. 14. de legib. Caiet. vers. Hæreticis, Sor. d. 22. q. 2. art. 3. col. 9. Nau. l. c. 24. 56. Vival. l. c. num. 2.*

3 Recedere ab obedientia Papæ, est nolle illum agnoscere esse Vicarium Christi, & Ecclesie caput. \**Nau. l. c. 57.*

4 Piratæ intelliguntur, qui in mari, & velut ex officio; principaliter furtis & rapinis student.

dent; non qui minus principaliter, & quasi ex  
accidente aut in flumine. \* *Nau. 59. Vival.*  
*l.c. 19.*

5 Naufragorum bona surripientes, etiam  
hiciam excommunicati.

\* *Nau. 60. Vival. l.c. à nu. 27. Sy. l. 3. c. 8.*

6 Per pedagia, & gabellas, intelligenda sunt  
etiam portoria, & alia vestigalia quęcunque.  
*Nau. c. 27. num. 61. Tol. l. l. c. 21. Nec cum Rosel-*  
*la, & Tabienna dici potest non excommuni-*  
*cari qui vetera augent, cum post Pium V. id.*  
*expressis verbis asserat Bulla.*

\* *Nu. 61. Vival. 36.*

7 Exigere intelligitur, qui ab inuito extor-

8 Gabellam imponere potest, qui non habet  
Superiorem in temporalibus.

9 Falsificans, scilicet per se literas Apostoli-  
cas, scilicet iam expeditas, excommunicatur:  
non autem si literas Nuntij Apostolici,  
aut Pœnitentiarię; aut si quid mutet, non  
mutata sententia: aut postquam expirarunt:  
ita vt maneant inutiles. *Syl. excomm. 7. num 10.*  
aut si laceret, aut comburat, quia inutiles.

\* *Nau. 62. Vival. 46.*

10 Ferrum deferens ad infideles, (quibus  
cum Christianis bellum est) ex terra fidelium,  
vel lignum, quibus possint facere arma offen-  
sua, aut defensiva, excommunicatur: non  
autem qui equum vel enssem donat ob gra-

itudinem, aut ob benevolentiam captandā; nec qui defert victualia, aut communes merces; nec qui in eorum nauibus operam suam ponit, etiam agentibus contra fideles.

*\* Nau. 63. Vinal. 55.*

11 Iusta de causa impediētes victualia ad Romanam Curiam delata, non excommunicantur. *\* Naua. 64. Vinal. 70.*

12 Excommunicantur insequentes hostiliter Episcopos, scilicet consecratos. Non dicitur autem quis cum insequi, qui se iam aliquo recepit.

*\* Nau. 67. Vinal. 85.*

13 Item qui cursum litterarum Apostolicarum laicali auctoritate impediunt. Aut prohibent accessum ad Romanam Curiam pro illis impetrandis, earumue impetrationem, vel usum.

*\* Nau. 68. Vinal. 94.*

14 Item Ecclesiasticos fructus sibi per auctoritatem vsurpantes. secus si recipiant, aut furerentur, vt solent alia quæuis bona. *\* Nau. 69.*

15 Item imponentes onera personis, aut fructibus Ecclesiasticis.

*\* Nau. Ibidem, Vinal. l. c. nu. 116.*

16 Absoluens illicitè casibus Bullæ huius, in excommunicationem incidit, sed non reuertatam: nō incidit autem, si absit præsumptio mortalis, vt si faciat ex ignorantia, aut obliuione, aut causa probabili.

*\* Nau.*

\**Nau. l. c. nu. 73. Vual. nu. 138.*

17 Concessis omnibus casibus huius Bullæ intelligitur etiam concessus casus hæresis. Ita declarauit sacra Congreg. Sed aduerendum cõcessionem eiusmodi singulis annis reuocari cum amplissimis derogatorijs, dum hæc Bulla in die Cœnæ Domini promulgatur.

*Quædam alia excommunicationes.  
Papa reseruata.*

1. **S**I quis Clericum percutiat. 17. q. 4. *Si quis suadente*, excommunicatur. Clericum intellige etiam primæ tonsuræ, & Religiosum etiam Nouitium, non autem quemuis Eremitam aut Inclusum, aut Clericum degradatum realiter, vel ob incorrigibilitatem depositum, aut hæreticum. *Vide Nau. c. 27. n. 80.*

\**Vide de hac re Nau. l. c. à n. 75. Vual. l. c. à nu. 126. Sayrum.*

*Nau. c. 27. nu. 79. Sayrus l. 3. c. 26. 27. Tol. l. 5. c. 8. nu. 9.* Clericum se ipsum verberantem. nõ putat incidere: quia can. loqui videtur. de tertia persona: contrarium docet *Nau. c. 15. nu. 11. Caet. vers. excomm. c. 10.*

2 Non incidit qui non violenter tangit, (quale non est crumenam furari) *c. Cum quis de sent. excomm. in 6.* mandans, & ratum habens factum eius nomine incurrit, nec qui ignorabat esse Clericum, nec si talis sit percussio, vt in laicum facta non esset mortalis; nec qui

CUOR-